(8/2)

1414. circa 10 Febr. Ex Arch. Calvi Montis

71

Nos Petrus de Falkow Judex et Janissius de Glowacz Sub judex tunc Sandomiriens. Terrestris Profitemur Universis quibus expedit literas presentes quoniam inscriptionem Nobilis Bartholomei in Bjelow Heredis in libris judicialibus nostris nostri Antecessores contineri invenientes ipsumque inscriptionem juxta Decretum Dominorum secundum dictum et tenorem ejusdem nostro sub sigillo appensi eidem mandavimus in haec verba quia Dña Helena relicta vidua de Kremirze Coram judicio Terrestri personaliter constituta de bona et libera ipsius voluntate recognovit Publice quod Aream in Bjelow cum Agris et omnibus utilitatibus ad eundem pertinentibus videlicet Maternalem ac cum toto jure et omni Dominio nihil pro se in eadem Area vel pro suis consanguineis penitus reservando in viginti Marcis mediorum grossorum memorato Bartholomeo proposuit et omni modo obligavit ita tamen quod praedictus Bartholomeus suis cum posteris dictam Aream sic ut praemittitur tenebit habebit et Hereditarie possidebit tamdiu quousque sibi pecunia praedicta juxta jus ordinum integrabiliter exsolvetur juxta juris formam. Harum quibus in testimonium nostra praesentibus sigilla sunt appensa Datum et actum in Opathow Feria Quinta post festum Sctae Dorothee Virginis Año Millesimo quadringentesimo Decimo quarto praesentibus His testibus Raphaele de Michnow Joanne de Opolin Nicolao de Ibidem Joanne de Podlodow Joanne de Betmow Zbigneo de Wszenow Mirzanone de Milkow Heredibus et alijs multis fide dignis.